DE MORBORUM CUTANEORUM COMBINATIONIBUS.

DISSERTATIO INAUGURALIS

QVAM

CONSENSU ET AUCTORITATE GRATIOSI MEDICORUM ORDINIS IN ALMA REGIA LITTERARUM UNIVERSITATE FRIDERICIA GUILELMIA RHENANA

AD SUMMOS

IN MEDICINA ET CHIRURGIA HONORES

RITE IMPETRANDOS

SCRIPSIT ATQUE UNA CUM THESIBUS

DIE X. MENSIS AUGUSTI A. MDCCCLVIII.

PUBLICE DEFENDET

CAROLUS KREBS

RHENANUS.

ADVERSARIORUM PARTES SUSCIPIENT:

F. ROBERT, CAND. MED. ET CHIR.
P. J. ILTGEN, DD. MED. ET CHIR.
O. ALBERS, DD. MED. ET CHIR.

BONNAE.

TYPIS CARTHAVSIANIS.

VIRO ILLUSTRISSIMO

M. E. A. NAUMANN

MED. ET CHIRURG. DOCTORI, PROFESS. PUBL. ORDIN., INSTITUTI CLINICI MEDICI IN UNIVERSITATE FRIDERICIA GUILELMIA RHENANA DIRECTORI, COMPL. SOCIET. SODALI, EQUITI ETC. ETC.

PRAECEPTORI MERITISSIMO

HASCE LITTERARUM PRIMITIAS

SACRAS ESSE VULT

AUCTOR.

Procemium.

Jam e primo temporis momento, quo medicina animum meum delectare inceperat, quae de morbis cutaneis agit pars, maxime mihi placuit. Ac si, quid fuerit caussae, quaesieris, cur in hanc praecipue medicinae partem voluntas studiumque me compulerit, hoc mihi respondendum videtur. In morbis cutaneis medicum multo magis prohiberi ab errore, quam in plurimis morbis internis; in morbis cutaneis dîagnosin semper pro certo indicari posse, in morbis internis ad probabilitatem tantum accedere plus minusve magnam.

De ipsis vero morbis cutaneis scribere, in mentem mihi venire non poterat, quoniam viri tanta auctoritate, quanta Cl. Bärensprung, Cl. Hebra, praecipue Cl. Simon praediti, eos sibi morbos pertractandos sumpserunt, et ex omnibus partibus ita perlustraverunt, tantaque diligentia perscripserunt, ut perpauca tantum restent, quae dicenda adhuc videantur. Unius autem rei in his morbis tractatis nondum ratio esse habita sufficiens mihi videbatur, nimirum evolutionis plurium et diversorum in eodem homine exanthematum; quam tamen doctrinam de combinatione exanthematum fortibus firmari fulcris necessarium sit. Itaque, posteaquam ad has consociationes accuratius cognoscendas tempus ac diligentiam adhibere constitui, in dissertatione inaugurali eas uberius pertractare mihi proposui. Hoc meum propositum benevolentia amplissimi et carissimi praeceptoris mei Prof. Naumann in eo adiutum est, ut huius argumenti in medium proferendi copiam litterariam mihi fecerit.

Utinam hoc libello assequi possem, ut argumentum gravissimum ab aliis viris doctioribus atque praeclarioribus melius atque accuratius pertractaretur.

Cui desiderio adiungam, ut lectores benevoli bona cum venia has pagellas accipiant.

Satis certe constat, neque solum medicis, sed etiam tironi medico, ubi primum aegrotum aliquem observavit, persuasum est, rarissime morbum exoriri simplicem. Raro enim pneumoniam prorsus genuinam videbis solam, quin simul pleuritica symptomata animadvertas. Fere nunquam chronica pulmonum affectio omnino per se ipsam constat, quin cum cordis aliusve visceris vitiis coniuncta sit. Saepe ad rheumatismum accedit inflammatio endocardii, ad tuberculosin pulmonum morbus Brightii, ad morbos urethrae status articulationis cuiusdam pathologicus; in tota fere praxi clinica invenimus morborum complicationes. Harum autem caussae quaerendae sunt partim in conditionibus anatomicis, — ut in morbis pulmonum et pleurae, ex quibus unam vehementius aegrotare, nec altera simul afficiatur, vix cogitari potest; — partim in conditionibus causalibus — morbosam enim, ut exemplum ponam cordis mutationem, qua turbatur sanguinis circulatio per pulmones, pulmonum vitia sequantur necesse est. Saepe sympathice tantum inter se cohaerent partes aegrotae, ut parotides et testes. Solum modo illis in casibus, ubi connubium unius alteriusve generis inter partes aegrotantes penitus latet, — neque labes quaedam toti corpori inimica demonstrari licet — de morbis penitus diversi originis disputari poterit.

Hoc autem non solum in singulis corporis organis, sed etiam in ipsorum organorum partibus apparet, praecipue si haec organa variis composita sunt telis constitutivis. Quo in numero imprimis ponenda est cutis. Nam in cute invenimus complicationes variorum morborum, eodem modo, quo in cor-

pore toto. Consideranti autem haec omnia existit quaestio: Quid? Existitne naturae lex, qua eiusmodi coniunctiones formantur, annon existit? Equidem existere hanc legem prorsus nego, — nisi ad necessarium symptomatum syndromen respexeris, quae ex anatomica cutis structura, et ex actionum eius vitalium mutuo consortio intelligitur. Ac si plures simul in cute oriuntur morbi, qui accurate ac diligentius rem consideraverit, is eos esse aut varios tantum eiusdem morbi gradus, aut ex anatomicis legibus inter se conexos, aut actionum necessitudine provocatos reperiet. Nonnunquam vero aliae diversorum morborum adsunt rationes, quarum nonnullae a nobis demonstrari possunt, nonnullae prorsus ignotae latent. Quae omnia diligentius nunc illustrare mihi in animo est.

Ac primum quidem: in uno homine eiusdem exanthematis species coniunctas videmus, quae in compendiis varietates unius typi universalis indicantur. Saepenumero enim, ut exemplo utar, Psoriasis simplex vel guttata una cum Psoriasi orbiculari aut cum Psoriasi scutellata aut cum Psoriasi diffusa aut cum Psoriasi gyrata animadvertitur. Fieri quoque potest, ut omnes hae species eodem tempore appareant. Etenim varias has Psoriases omnes una exoriri posse, brevi ante in nosocomio huius urbis observandi occasio mihi oblata erat. Sed hanc observationem alio loco pluribus verbis commemorare mihi proposui. Quid igitur? nonne maiores variorum exanthematum complicationes adesse videntur? Jam vero, qui diligentius observaverit, varias has species nihil esse aliud, quam varios eiusdem morbi gradus intelliget. Hoc autem ita esse et Hebra optime rectissimeque ostendit, et unicuique medico, dum modo exanthematis rationem accurate observaverit, persuasum erit.

Ut Hebra quidem ostendit, Psoriasis diffusa nascitur eo,

quod maculae Psoriasis guttatae aut Psoriasis orbicularis in suo quaeque circuitu se attingant itaque confluant. Alias vero species putavit natas quod exauthemata discederent. Etenim, Psoriasi guttata discedente sanationem saepe inchoare dixit in centro; in hoc primum squamas tenuiores fieri, itaque margines magis, quam mediam partem exstare, quo effici, ut species nascatur, cui Psoriasi scutellatae nomen sit. Progrediente autem sanatione squamas in mediis maculis prorsus discedere, margines tantum illis obductos conspici; in hoc studio morbum nominari Psoriasın orbicularem. Ac si progrediente sanatione singula circulorum segmenta remanerent, haec si finitima essent, saeqe nexus anguineos formare; quo speciem nasci, cui Psoriasi gyratae nomen sit. In nosocomio huius urbis semestri praeterito curati sunt duo homines, in quibus varia Psoriasis studia perspicue observari poterant, et in quibus persuasum habere poteras, nasci species illas, quas supra nominavi, quas Hebra quoque rectissime ostendit.

Alterum vero exemplum, ex quo apparet plures species valde propinquas consociari posse, Eczema praebet. Nam Eczema simplex, rubrum, impetiginodes eodem modo, quo variae Psoriases se habent. Eczema enim rubrum nihil est aliud, quam maior Eczematis simplicis gradus; rubor tantum et intumescentia et vesicularum formatio maior est. In Eczemate impetiginode contentum vesicularum in pus mutatur et in squamas exarescit, tum sane crassiores, quam in Eczemate simplice. Neque vero opus est, ut morbus usque ad hoc stadium postremum, usque ad hanc intensitatem summam (Eczema impetiginodes) crescat, sed in utraque etiam alia forma confici potest. Hoc autem modo facillime evenire posse, ut in hominibus simpliciter Eczemate affectis, hae tres formae una appareant, nemo certe negabit.

Quid porro? De nominationibus „Rhupia simplex et prominens,“ quae semper fere ubique inveniuntur simul, num aliud quid indicatur, quam varia eiusdem morbi stadia? Crustae enim primum tenues paullatim latiores et crassiores fiunt,

quia sub iis in planitie madenti novum semper exsudatum exarescit; eoque modo omnis Rhupia simplex fit Rhupia prominens, nisi brevi tempore curatur.

Jam vero — ut de re universa, non de singulis loquar exemplis — talium reminiscaris exanthematum, quae ex maculis in nodulos vel in vesiculas, vel in pustulas crescere solent in quibus plures earum formarum una observare licet. Sed, quid longius rem persequar? sufficiant ea, quae dixi; ex quibus appareat, saepenumero esse occasionem oblatam, ut tibi persuadere queas, species exanthematum quas nominavi varios tantum esse formationis gradus.

Deinde supra commemoravi, eiusmodi saepe convenire exanthemata, de quîbus, ut ex anatomicis legibus inter se cohaereant, ostendi possit, quorum formationes aut iisdem efficiantur mutationibus anatomicis, aut iis certe, quae his simillimae sint. Etenim Strophulus, praecipue vero Lichen et Prurigo saepissime inter se coniuncta sunt. Discrimen enim, inter hos morbos positum, id quod iam e definitione apparet, quasi nimia quadam arte est factum, revera minus existit. Eo enim Lichenem a Prurigine discerni aiunt, quod in illo minores sint noduli et desquamatio fiat furfuracea, in hac maiores sint noduli, nec ulla fiat desquamatio. Microscopica autem disquisitione a Gustavo Simon accurate instituta apparuit in utroque morbo hyperaemiam localem in vasis capillaribus exsudationem effecisse exsudati seroso-plastici; quo factum est, ut cutis tuberculose turgesceret et papulae nascerentur aut ruseo aut eodem quo cutis colore. Apparet igitur ex iis quae exposita sunt, et Lichenem posse cum Prurigine, et Prurigenem cum Lichene esse coniunctam. Causam vero qua propter modo hic modo ille morbus exoriatur, quaerendam esse in conditionibus obscuris, saepenumero prorsus fortuitis.

Atque eodem fere modo cum Erysipelate et cum Erythemate et cum Roseola se habet. Saepissime enim evenit, ut

vel Erysipelas vel Erythema cum Roseola coniunctum inveniatur. Jam externa facie tria haec exanthemata multum inter se similitudinis habere indicatur: eodem enim sunt rubore, qui gradu extensionis tantum dignoscitur; rubor quum digito presseris, evanescit; finiunt tria haec exanthemata modo cum epidermitidis, modo sine eius desquamatione. Atque accurata exanthematum examinatio ostendit, conditiones anatomico-physiologicas eodem modo esse congruentes. Omnes enim hae species declarant dermatitidem plus minusve circumscriptam, quae modo, graviore exorta vi, totam cutis crassitudinem corripit, — tum desquamatio semper decedit — modo superficiem tantum corii afficit, vel ut simplex existit sanguinis congestio; — tum epidermeos desquamatio, discedente morbo, non efficitur. Porro exanthemata, praecipue Erysipelas et Erythema eandem habere vim atque naturam hoc quoque afferendum videtur argumentum, quod viri docti atque periti Erysipelati, cui exanthematicum nomen esset, solum Erysipelatidis nomen attribuendum, et quae Erysipelatidis species a febri non comitatae nascerentur, eodem quo Erythema genere ponendas proposuerunt.

Eczema saepissime cum Herpete coniunctum vides, et utraque species recte exquisita facillime distingui potest. Jam vero quoniam, id quod nemo certe medicinae peritus nescit, non raro fit, ut magna sit formarum varietas, medicus qui ad morbos tales curandos adhibetur, saepe quod nomen exanthemati sit tribuendum, dubitat. Hoc autem non mirabile videri debet, quia in utroque morbo cutis eodem paene modo mutatur. Epidermis, quia exsudatum inflammatorium sub ea coacervatur, a cute levatur; quo nascuntur vesiculae, in quibus est liquor initio clarus, sero similis. Ac paulo post fieri solet, ut vesiculae turbentur eo, quod corpuscula turbulenta in iis nascuntur; tum dirumpuntur, quo facto crustis obteguntur, quae, sub microscopio examinatae, ex cellulis epidermeos et exsiccatis corpusculis purulentis consistunt.

Jam eo transgrediamur, ut tales exanthematum combinationes consideremus, in quibus nullae inveniuntur earum, quas in superioribus partibus commemoravi, conditiones. Quid enim? In multis exanthematis Roseolam intercurrere videmus; in aliis aegrotis circa barbam invenitur Acne Mentagra, (quam eandem Sycosin appellamus) in angulis oris, in naribus, in auriculis Eczema; in aliis invenitur Impetigo ac praeterea Pemphigus dispersus, in aliis Lupus cum Elephantiasi coniunctus, aut scabies cum alia specie coniuncta. Omittam ea, quibus unusquisque fere vexatur, quo in numero praecipue videntur habenda: verucae, clavi, calli, qui insuper ad illas eruptiones omnes advenire possunt. Iam hoc loco coniici possunt omnia quorum in Dermatopathologia mentio facienda est. Etenim revera singulae quaeque exanthemata pro se cum quocunque alio coniuncta exstare queunt; nec ullum inveniatur, quo, quominus alia quoque existant, prohibeatur.

Jam parte insequenti id agam, ut varias, quibus singula exanthemata implicari solent, conditiones tractandas suscipiam. Nolite autem exspectare, me in hoc libello omnes, quaecunque forte accidere possunt, rationes commemoraturum; singulas tantum graviores illustrandas mihi proposui. Neque enim, libellum hoc conscribens, singula quaeque tractare mihi in animo erat; praeterea quia omnino fieri non potest, ut singulae, quaecunque accidere possunt, rationes enumerentur.

Ac primum quidem haec commemoranda videntur, magnam exanthematum copiam in uno coniungi homine, qui quodam correptus est morbo his exanthematis indicato. Ac si quod sit praeclarissimum huiusmodi exemplum, quo quanta maxima repraesentetur combinatio exanthematum quaesieris, luis syphiliticae reminiscaris velim. In hac enim omnes, non epidermeos solum, sed cutis etiam inveniri morbos, quisque

certe, nisi forte medicinae omnino ignarus est, cognitum habebit. Neque vero hoc unicum est eiusmodi exemplum; de Variolis enim et Varicellis idem dicendum est. In his autem exanthematum copia — semper quidem magna — attamen non tanta, quanta fuit antea. Omnes enim in iis inveniuntur, quibus pustula procreatur gradus: et maculae et noduli et vesiculae et ipsae pustulae; quas in Variolis quidem in variis corporis locis, in Varicellis in eodem semper loco omnes una observare licet.

Inveniuntur quoque morbosae cutis conditiones, quibus facile effici potest, ut nonnulla exanthemata vel nascantur, vel crescant. Epidermis enim, si parum sebi secernitur, exarescit, unde fit rimosa et in parvis squamulis desquamatur. Tum igitur inveniuntur rationes omnibus exanthematis cum desquamatione coniunctis maxime accomodatae. Attamen sebum, si abundantius secernitur, in folliculis sebaceis facile coacervari potest; quo fit, ut variae existant formae, quales sunt: Comedones, Acne, Hordeolum, omnia denique exanthemata, quae ex folliculo sebaceo morboso atque inflammato nasci queunt.

Nec praetereundum videtur, morbis epidemicis exanthematicis — si corripiunt hominem, aliis iam exanthematis affectum, — aliisve exanthematis contagiosis, quae transinseruntur, valde augeri posse numerum exanthematum. Etenim Morbillos et Variolas, ad alia, quae iam adsunt exanthemata convenire, Variolas ac luem syphiliticam transinseri posse, quis est, qui ignoret? Atque, ut de internis loquar organis, nonnulla esse constat, quae, morbo quodam correpta, facillime efficiunt, ut cutis quoque afficiatur. Quodsi hoc loco exemplum commemorare licet, ex quo id falsum non esse appareat: Experientia atque usu quotidiano satis edocti sumus, statum gastricum pertinacem magna efflorescentium cutaneorum copia quasi exaequationem sibi procurare posse. Quid de pneumonia dicam, in qua fere semper Eczema labiale nascitur, quo factum est, ut nonnulli autores hoc Eczema in diagnosticis pneumoniae symptomatis reposuerint. Nec silentio praetereunda videntur

Scorbutus et Sanguinis Sepsis, quae, ut omittam multitudinem aliorum, quibus in cute indicantur symptomatum, apparent maculis modo parvis, modo magnis, quae maculae, Petechiae nominatae, si digito presseris, non recedunt. Ubicunque igitur eiusmodi dyscrasia existit, ad alia exanthemata accedunt Petechiae et Ecchymosae.

Quodsi quis ad exanthema quoddam, velut Urticariam, dispositus est, eam apparere videmus quacunque irritatione in cute facta. Quum autem haec irritatio efficiatur alio, quod fortuito natum est, exanthemate, facillime evenire potest, ut ad hoc, quod iam adest exanthema, conveniat Urticaria. Saepissime etiam observari licet quosdam morbos cutaneos cum aliis certis plerumque consociari, eosque efficere, quum longinquum tempus exstiterint. Recordaris velim Scabiem, praeter quam saepissime peculiare quoddam exanthema bullosum animadvertimus. Nonnulli quidem contenderunt, id exanthema effici non ipsa Scabie, sed frictione aegroti, quae quidem frictio sit quasi continua irritatio in cutem facta; id quod eo refutatur, hoc exanthema bullosum non raro quoque in neonatis animadverti, a quibus cutis fricari aut alio modo vexari nequit.

Accedunt praeterea multa noxia externa, quae prorsus fortuito incidere possunt, quibus nova exanthemata conveniunt cum aliis, quae iam adsunt, qualis est in puerulis intertrigo, quae efficitur acie urinae madentis, aliaque. Jam vero non ignoro, multa praeterea restare, ut materia exhauriatur; innumerabiles enim fere sunt conditiones; unicuique autem medico permultae oblatae sunt occasiones eiusmodi faciendi observationes.

Ut ipsos autem morbos cutaneos generatim atque universe consideremus, mirandum certe videtur, quantus sit eo-

rum, numerus, quanta eorum frequentia. Sed frequentiam recte mihi videor dicturus non esse tam veram, quam fictam. Cuius quidem argumentum hoc non iniuria mihi praebendum censeo: quoniam in externis corporis partibus existant, propterea semper apparere; morbos vero organorum internorum non conspici; quin etiam evenire, ut ipse aegrotus insciens ab iis corripiatur. Nihilominus autem saepissime accidat, ut in cute potius causa alicuius morbi sit quaerenda, quam in ullo alio organo. Quod ex eo apparet, cutem esse maxime expositam noxiis externis eamque habere rationes ad plurima alia corporis nostri organa tam intimas mimimeque accurate cognitas, ut vix ullus morbus existat gravior, qui in cute non reluceat. — Jam ut de varietatibus exanthematum loquar: statim quidem nullum profecto esse aliud corporis nostri organum, quod sit tot, tamque variis morbis subiectum, quam cutem putaverimus. Sed modo intelligemus, rem non esse adeo iniquam.

Etenim, ut supra iam dixi, saepissime fit, ut variae certorum exanthematum formentur modificationes; quod qui cognitum habuerit, numerum exanthematum valde minui concedet. Praeterea varia in variis stadiis animadvertuntur exanthemata, quae non prorsus progrediuntur; haec quoque stadia, quum species contuleris, omittenda, nec in ipsorum exanthematum numero ponenda sunt. Illud quoque commemorandum videtur in omnibus efflorescentibus, folliculos crinis et folliculos sebaceos fere solos inventos fuisse affectos, quapropter Rosenbaum eo ductus est, ut contenderet, omnes exanthematum species nasci quodam folliculorum sebaceorum morbo, exceptis Miliaribus, quae restrictione ductus glandularum sudoriferarum orirentur.

Ad hanc opinionem probandam hoc affert argumentum, ita dicens: Augeri secretionem folliculi sebacei si irritatio in eum vel externa vel interna existat; efficere autem secretum, quoniam non eodem, quo coacervetur modo, etiam secerni possit, ut extendatur folliculus, qui tum ut nodulus sive parvus,

sive magnus in cute conspiciatur. Simulque sanguinem cumulari circa folliculum, itaque fieri, ut rubra nascatur areola. Tum exsudationem evenire papulamque maiorem fieri posse. Exsudatum vero efficere, ut ostium folliculi oblinatur, eoque fieri, ut ductus extendatur et epidermis in hemisphaerii forma levetur, itaque vesiculae nascantur. Formari in his vesiculis corpuscula purulenta itaque pustulas nasci. Quae quum ita sint, dermatopathologiam magna ex parte minui apparet. Rectissima quidem est illa, quam Rosenbaum protulit, opinio, partim, partim minus recta. Quod patet ex disquisitionibus illis a Gustav Simon diligentissime institutis, qui idem explicuit, quid causae esset cur ipsi folliculi tam saepe morbo essent implicati.

Illud denique commemorandum videtur, curationem exanthematum esse simplicissimam. Nam ut omittam singulas species, in quibus curandis specifica, si ita loqui licet, remedia adhibenda sunt — ut excipiam specifica exanthemata febrilia, quae non tam in cutaneorum, quam internorum morborum reponenda sunt numero — nonne iisdem fere in omnes, quicunque existunt morbos cutaneos utimur remediis? nonne generatim exanthemata, quum vitari possint noxia, quae illa nascentia et consistentia adiuvant ciusmodi curationi simplici cedunt? Quae quum ita se habeant, qui tantam morborum cutaneorum varietatem revera minus existere contendit, ad veritatem valde accedere videtur.

Cutis quoniam ex multis ac variis composita est elementis, multis etiam ac magnis subiecta est mutationibus pathologicis. Quis enim est, qui nesciat, bulbos crinis, folliculos sebaceos, canaliculos sudoriferos, epidermitidem, varia vasorum strata — quibus addas corium cum veruculis sive papillis — occasiones offerre, ut variae exanthematum formationes nascantur. Quoniam autem cutis affici nequit, nisi rationibus iam organisatione datis, pathologicae quae accedere possunt mutationes, si comparantur cum multis noxiis, a quibus organum corripi potest, finibus tamen circumscribi possunt.

Tandem autem pathologorum assiduitate ac studio contigit, ut, qua re omnes in cute mutationes efficiantur, in medium proferatur. Etenim omnia exanthemata nihil esse aliud, quam varias formationes eiusdem morbi i. e. dermatitidis nostra quidem aetate consentiunt plurimi, qui in curandis atque examinandis morbis cutaneis operam ac studium posuerunt. Inflammationem enim cutis dicunt non acutam solum, sed chronicam etiam tum hoc, tum illo modo, tum localibus, tum universalibus efflorescentibus apparere. Quae autem formationes nascerentur, vel in irritationis vi vel qualitate, in dispositione hominis aegroti, in rationibus cosmicis aliisque positum esse. Atque exanthema pro variis, quae adessent, conditionibus, vario etiam modo formari; saepissime evenire, ut nihil sit, quam quasi ludus naturae, quae quum ubique, tum in his morbis quanta sit sollertia ostendat, quae, soluta omnibus momentis et externis et internis, varia procreare studeat. Neque vero in his quae modo exposita sunt, auctores acquierunt, sed id quoque egerunt, ut varii qui essent processus investigarent, quibus ex inflammatione singulae exanthematum formationes nascerentur.

Atque ut omittam alia, hoc loco id tantum commemorare iuvat, quod carissimum praeceptorem meum Prof. Naumann de hac re docuisse memini. Qui quidem varios inflammationis processus et quomodo varia exanthemata ex inflammatione nascantur exposuit tanta cum simplicitate tantaque cum perspicuitate, ut tota quae de morbis cutaneis agit disciplina, plane perspici possit.

Quod si omnia superficialia vasa capillaria cutis hyperaemia correpta sunt, rubor existit diffusus. Jam vero circa omnes glandulas sudoriferas, circa omnes folliculos sebaceos, circa omnes folliculos crinium, circa omnes papulas cutaneas reticulum est, ex vasis capillaribus multo subtilioribus atque arctioribus compositum, quod cum capillaribus illis crassioribus connexum est. Ac si sola haec reticula arcta hyperaemia affecta sunt, rubor consistit disseminatus, maculae rubrae,

quae, digito si presseris, recedunt: velut Roseola. (Non sunt huius loci maculae illae rubrae, quae, digito quum presseris, non recedunt, quae conditionibus omnino aliis gignuntur, neque processu hyperaemico vel inflammatorio nascuntur.) Quomodo porro progrediatur exanthema partim e qualitate et copia exsudati, partim ex irritatione plus minusve in profundum penetrante pendet.

Quodsi exsudatum est serosum, bullae et vesiculae existunt; illae quidem, quum serosi sub epidermitidem exsudati multum sit quumque celeriter eveniat, hae quum minus sit exsudati ac lente tantum succedat secretio. Simplices autem epidermitidis elevationes sunt: Sudamina, Miliaria, Eczema, Herpes, Pemphigus aliaque. Quae quum ita se habeant, certe mirum videri non debet, sin ex his plura simul inveniuntur; omittam, ut varia momenta, partim cognita, partim incognita indicent constituantque, et quae formae nascantur et quae non nascantur.

Sin vero fibrinosum est exsudatum, nodulus cutaneus nascitur; tum Strophulus, Lichen, Prurigo et in hypertrophia singularum papillarum — Verruca, Condyloma aliaeque variae formationes papulae verrucosae existunt. Illi autem noduli cutanei, qui efficiuntur hyperaemia vasorum subtilium, quae sunt circa ostia folliculorum, eo cognoscendi sunt, quod ex uniuscuiusque papulae capite crinis parvus surgit, velut Lichen pilaris, papulae et pustulae Mentagrae. Si maiore autem quantitate fibrinosa in cutem deposita fuerit materia, tubercula nascuntur. Hic igitur nova occurrit series efflorescentium, quae plus minusve inter se sunt propinqua; in quibus, data illa, quam supra nominavi, exsudati conditione, quis erit, qui pro certo indicare poterit, quae formae et quot oriantur.

In exsudato purulento semper supremum quoque corii stratum mollitur et, iam semi-maceratum, una cum epidermitide levatur. Quapropter interna pustularum constructio plus minusve cellulosa et in flabella divisa est; id quod eo clarius conspici potest, quo maior est pustula. Quo in numero reponenda sunt Variola, Variolois, Vaccina. Non tam clare in-

terna pustularum constructio conspici potest in Impetigine, Ecthymate, Syphyloa (Schanker). Ac cum Syphiloa quidem aliter sane se habet, quoniam non eodem, quo utraque alia, modo nascitur, sed contagio eam inseri oportet. Hoc autem loco eam enumerare necesse est eodem iure, quo Vaccina; quae eadem contagio, eodem etiam modo, nascitur. Contagio enim efficiente dermatitis localis existit, qua fit ut pustula nascatur. Quomodo autem papulosum quoddam in pustulosam formam mutetur, optime conspici licet in inflammatorio tumore folliculorum sebaceorum, quem Acnen nominare solemus.

Quodsi ad formandas cellulas epidermidis necessaria ex superioribus vasis capillaribus cutis non ea, qua opus est copia, vel nimia copia procurantur, vel non sunt ea, qua debent qualitate, vel necessariis praedita non sunt proprietatibus: nasci queunt Intertrigo, Pityriasis, Psoriasis, Ichthyosis, Clavus aliaque.

Hoc igitur modo ex inflammatione cutis omnia nasci posse apparet. Quod revera ita esse quum ex multis, tum imprimis ex illo patet, omnia exanthemata denique easdem in cute mutationes adducere. Quodsi exanthema sive papulosum, sive phlyctaenosum, sive pustulosum per longum tempus consistit, eiusque vis gradatim adaugetur, eadem ratione totam cutem magis magisque aegrotare animadvertimus, ita ut varia strata et variae partes vasorum capillarium, quae in cute continentur, plus minusve aequabiliter in hyperaemiam manentem transmutentur. Quibus rebu s ita se habentibus, in locis illis nullae iam epidermidis cellulae nascuntur, et in superficie exsudationes copiosae purulentae existunt, quae excoriationem atque ulcerationem efficere queunt. Praeterea exsudationes fibrinosae existunt intra ipsam telam cutaneam, quibus densatio atque induratio telae cutaneae magis magisque crescunt; denique tela subcutanea eodem modo commutatur. Quibus in conditionibus cutis degenerata contractilitate et elasticitate privatur, rimosa fit; quo efficitur, ut facile et profundae fissurae et rimae et ulcera in ea nascantur. Illustre quidem huiusmodi

exemplum Elephantiasis praebet. Cutis enim inflammatione saepenumero redeunte tam vehementer afficitur, ut perpetua hyperaemia laboret. Exsudatio autem materiarum fibrinosarum e capillaribus extensis semper quidem perdurat; quo fit, ut cutis paullatim conspissetur, ut denique destruatur, ut rimosa fiat, tantaque deformitate afficiatur, ut vix forma membri a cute circumdati cognosci possit.

Ex iis autem, quae exposui intelligi potest, quid causae sit, cur pars cutis affecta denique modo omnino congruente degeneret, nec quidquam referat, utrum exanthema primitivum fuerit Lichen an Eczema, an Impetigo, an Herpes aliaque. Cutis est rubore intensivo, madens, partim ulceribus aut excoriationibus obtecta, rimis deformata, densata; accedit, ut nonnullis locis, prout exsudatum in tela cutanea in maiore vel in minore copia adest, cutis inaequaliter sit contorta. Tum vero, quae primitiva fuerit exanthematis forma, indicare non poteris, nisi forte, aut qui fuerint morbi progressus ab initio observaveris, aut circa partem degeneratam aut in aliis cutis partibus perpetuae formarum primitivarum eruptiones eveniant. Quod si iam ex eo, quomodo exanthemata etiam diversissima ex hyperaemia nascantur, omnibus eandem esse causam, probabile videtur, id quidem, denique omnia exanthemata eundem habere exitum, certissimum praebere videtur argumentum.

Iam vero quoniam facillime accidere potest, ut causae existant, quibus fiat, ut, praeter diffusam cutis in nonnullis regionibus inflammationem, disseminatae quoque hyperaemiae vasorum capillarium minorum atque arctiorum, quae paene innumerabilia sunt, nasci queant, idque in diversissimis quidem intensitatis gradibus: ex causis et anatomicis et physiologicis papulas, vesiculas, pustulas aliaque in eadem cute una existere posse apparet. Nec, quum haec ita se habeant, in dubium vocari potest, quin eadem causa — ut exemplo utar: externus unguenti cuiusdam irritantis, aut internus Balsami Copaivae usus — in uno homine Lichenem, in altero Eczema, in in altero Herpetem vel Impetiginem efficiat.

Quo utrumque illud intelligere possumus, cuius observandi in quotidiano vitae usu tam saepe nobis oblata est occasio. Primum quidem saepenumero fieri, ut, quum aegroto alicui, qui scabie affectus erat, mediti simus, diversissima postea appareant exanthemata; deinde, quum pluribus hominibus scabie una laborantibus mediti simus, quaecunque cogitari possunt eruptiones cutaneae, neque in omnibus eaedem, sed in aliis aliae nascantur. Ac si, quid sit huius rei causae quaesieris, hoc habeo, quod respondendum videtur: irritatione cutis, partim ipsa sarcopte hominis, partim unguentorum vel lavationum vel balneorum usu, partim ipsa frictione, in vasis capillaribus nascitur hyperaemia, qua causae oblatae sunt, quibus omnes, quaecunque cogitari possunt, eruptionum formae existant.

Iam vero ex internis quoque corporis partibus irritationes exoriri queunt, quae in diversissimis efflorescentibus cutaneis apparent. Atque id quidem balsami Copaivae usu nonnunquam effici, iam supra commemoravi. Ac Schoenlein quidem, Fuchs aliique viri celeberrimi Pruriginem senilem atque Pemphigum senilem aliasque formas eiusmodi imperfecta secretione elementorum urinae exortas putarunt. Nuper equidem ipse in nosocomio animadverti, irritationem ex interiore corpore effloruisse in partes externas. Adolescens enim, statu gastrico correptus, subito super totum corpus eruptione Pityriasis affectus est; internus quidem status mirifice redditus est melior. Quomodo autem internis corporis statibus eruptiones in cute nascerentur, hoc modo explicare studuerunt. Naturam operam dare, ut heterogeneae materiae secretione e corpore removeantur; cuius quidem functionis partem a cute esse suscipiendam. Quae materiae si in partes proprie in secretione occupatas vehementiorem exercent irritationem, hyperaemia in iis nascitur; secretio aut difficilior redditur, aut omnino prohibetur, quo exanthemata diversissima incipiunt. Maxima autem, id quod facile quisque intelligere potest, est irritationum varietas, facillimeque fieri potest, ut in capillari-

bus cutaneis nascatur hyperaemia; quae si existit, initium datum est, ex quo universa dormatopathologia enasci potest.

Iam eo venimus, ut totam rem alio modo intueamur, ut id, quod supra probabile tantum esse contendimus, hoc loco pro certo affirmare possimus: nullam esse exanthematum speciem qua aliae excludantur. Etenim singulae quaeque species cum eliis pluribus, quin etiam cunctae exoriri queunt. Quod ut fiat, nihil aliud opus est, quam ut in communi vasorum capillarium hyperaemia, in diversis locis diversa quoque exsudata secernantur, ut inflammatio partim acute, partim chronice praetereat; modo omnia stadia maiori intensitatė percurrat, modo primo, vel secundo, vel tertio formationis gradu resistat. Quae quidem combinationes omnes revera aut nunquam aut rarissime tantum inveniuntur coniunctae; quia pro propriis conditionibus causas quoque exanthematis speciem constituentes varia esse vi apparet.

Praeterea haud supervacaneum videtur, singula quoque annotare, quae in combinationibus non sunt negligenda. Nam primum quidem id considerandum erit, nomina efflorescentibus cutaneis attributa nonnunquam valde esse relativa, eoque saepissime nasci errorem, duas adesse eruptionum species quamvis una tantum adsit. Quod contigit, ut exemplum adhibeam, in denominationibus: Acne ac Hordeolum; utraque enim idem significat: inflammationes, quae nascuntur in vasis folliculos crinium et folliculos sebaceos circumvelantibus, quaeque coacervationem exsudati in tela cutanea, folliculos illos circumdante, efficiunt; — nominum varietates ex solis pendent locis, in quibus inveniuntur. Ac similiter se habet cum Furunculo et Carbunculo, Hic enim nihil est aliud, quam convolutum Furunculorum vel inflammatio Furunculo extensior magisque intensiva. Furunculus autem est circumscripta cutis ac telae cellulosae subcutaneae inflammatio, in qua, quia materiae inflammatoriae deponuntur, intumescentia nascitur, cui est forma nodi prominentis,quem in quotidiano vitae usu obturamentum nominare consuevimus; a quo si opinionem, qua est Rokitansky,

sequi licet — Carbunculus eo tantum distinguitur, quod in hoc plurima eiusmodi obturamenta, alia iuxta alia nascantur.

Illud quoque habeo, quod commemorandum videtur: formationem singularum eruptionum e singulis pendere in cute locis; nonnullas quidem eruptiones in hoc, nonnullas in alio loco nasci solere. Etenim Eczema plerumque nascitur in angulis oris, in naribus, circa auriculas; Acne in fronte, genis mentoque. Praeterea certae mutationes morbosae certis tantum exoriuntur locis. Causae quidem, cur haec ita sint, omnino anatomicae sunt. In vola enim manus, in planta pedis nec folliculi crinis, nec folliculi sebacei existunt, sed glandulae tantum sudoriferae; quare in his partibus nec ullae Eczematis, nec Acnes formationes nasci queunt. Horum autem folliculorum in aliis corporis partibus magna est copia, quare in his locis frequentes quoque existunt eruptiones.

Parte antecedenti id ostendere operam dedi, quomodo omnes exanthematum formae ex simplici dermatitide nascantur. Id autem non exigui est momenti de ea, quae de morbis cutaneis agit disciplina, quae hoc modo magna ex parte est minuta. Ac si recentissima, quae hac re non nituntur opera perlegimus, singulas in iis exanthematum species optime descriptas inveniemus; tanta vero eorum est copia, tantaque nominum turba, ut tiro quidem quasi vertigine quadam corripiatur. Quid? nonne singuli dermatopathologi in eo gloriari videntur, quod nova semper in medicinam inducunt nomina, quod, ubicunque invenitur minima formae consuetae degressio, novam statim fingunt atque inveniunt speciem: ex quibus omnibus ipsa medicina exiguum tantum percipit fructum. Immo, summa opera est danda, (nec in medicina solum, sed in omnium litterarum studio) ut simplicitatem assequamur quam maximam, quo simul ad summam quoque pervenimus perfectionem.

Exanthemata, id quod satis certe constat, saepe sunt morbi tantum secundarii, exorti e quibusdam morbis internis, dyscrasiis aliisque; tum vero non ea, ac si sola existant, ha-

benda est ratio therapeutica, sed ut symptomata consideranda sunt. Tum vero non raro fit, ut sint symptoma praecipuum ac proprium ad constituendam diagnosin cuiusdam morbi, velut Scarlatina, Syphilidae. Ex veteribus quidem medicis multi in hac re fuerunt nimii, exanthema haud quaquam respicientes. Morbos enim cutaneos contenderunt esse flores unius morbi generalis (unde etiam nomina „exanthema", quod graece „ἄνθος" appellatur, „efflorescentia") qui morbus in interioribus organismi partibus quasi radices egerit. Quoniam autem in his radicibus curandis operam ac diligentiam adhibere censuerunt, flores neglexerunt, et accurata eorum consideratio iis minimi erat momenti minimeque necessaria.

Ita, ut exemplo utar, ab his medicis veteribus Scarlatinam descriptam invenies, ut „anginam tonsillarem", „crouposam tonsillarum inflammationem", nec toti exanthemati tantum attributum momenti, ut propriam ei imposuerint denominationem. Ne eos sequamur; sed pariter respiciendum est exanthema atque indagandum, quomodo reliquus organismus morbo in cute se manifestanti intersit. Atque ut in Scarlatina restemus, exanthema ipsum non videtur esse morbus principalis, sed symptoma potius morbi gravioris interni; nobis autem tantum valet, ut sine symptomate illo hunc morbum nec cognoscere nec curare possimus.

Sed ne tum quidem, quum quae sint singulae exanthematum formae accuratissime cognoverimus, saepenumero omnia assecuti sumus; in plurimis quidem casibus sufficit haec sola formarum cognitio, neque vero in omnibus. Et haec quidem sunt, in quibus combinationes non exigui sunt momenti, in quibus, quanta sint gravitate, quantoque momento, perspicue apparet. Quid enim, ut exemplo utar, prodest, quum in Variolis singulas exanthematis formas accurate diagnoveris, et ut maculas, nodulos, vesiculas, pustulas indicaveris, nisi cognoscas, hic addesse Variolam contagiose-exanthematicam. Existunt sane quaedam signa peculiaria, quibus pustula Variolosa perfecte conformata a pustulis distinguitur similibus. Sed

hoc signum neque semper invenitur, nec ad solas pustulas variolosas omnino pertinet. Formas enim valde propinquas alias in aliis saepe mutari, Variolas et Varioloides et Varicellas saepe inter se simillimas esse constat; quo saepissime fieri potest, ut, quod sit certum diagnoseos indicium, frustra quaeras. Nonnunquam etiam accidit, ut exanthemata, quae supra nominavi, aut omnino non, aut nonnullis tantum locis eo, quo solent, modo praetereant; quo accidit, ut Variolae videantur vesiculae, non in pustulas mutentur, aut ut, quamquam sunt Variolae, usque ad nodulos tantum crescant. Aut exanthema in facie tantum, in superioribus extremitatibus omnia stadia percurrit, in inferioribus vero corporis partibus ad secundum vel tertium tantum stadium procedit, quamquam nihilominus eruptiones in inferioribus corporis partibus Variolae sunt.

Saepius autem et clarius huiusmodi existunt aberrationes in Varicellis. Quae quoniam per intervalla nascuntur, omnia in uno homine aspici queunt stadia; etiamque restant Varicellae saepius non plane perfectae; quo efficitur, ut videas vesiculas imperfectas iuxta perfectas, aut tota etiam eruptio eiusmodi se habet: exanthema se ostendit ut maculae tantum, aut parvi noduli, aut vesiculae conspiciuntur. Nonnunquam etiam transmutatur in tubercula, in quibus aut nullae omnino vesiculae, aut parvae tantum in acumine inveniuntur. Nihilominius hae vesiculae nihil sunt aliud, quam Varicellae.

Iam Abercrombie contenderat, in diagnosi facienda non solum esse respicienda s i n g u l a quaeque symptomata externa, sed u n i v e r s a, pariterque diversa alia morbi symptomata. Saepissime enim a natura procreari aberrationes; etenim nonnunquam accidere, ut, exempli gratia, Variolae sint Varicellis nec non Varicellae Variolis simillimae. Neque minus errares, si exanthematum diagnosin secundum singula indicare velles stadia. Neque enim noduli, nec vesiculae, nec pustulae, sed haec omnia sunt Variolae aut Varicellae. Quodsi igitur pustula variolosa non est semper signum peculiare, si noduli et vesiculae nec in Variolis, nec in Varicellis singulare quoddam

habent signum, quid? quomodo exanthemata, si forte eveniant diagnoscenda videntur. (Omittamus enim omnia alia, ac consideremus tantum symptomata externa.) Possumus autem diagnoscere eo, ut omnium exanthematis symptomatum rationem habeamus, ut, quae sint variarum formarum combinationes respiciamus. Quod una existunt, — in Varicellis una et maculae et noduli et vesiculae et crustae, in Variolis pustulae ac vesiculae in facie, quum eodem tempore in cruribus tantum noduli sint, — grave est momentum, quo diagnoscere possumus, hic non esse simplex nodulorum vel vesicularum exanthema, sed Variolas, Varioloides aut Varicellas.

Alterum autem commemorare liceat exemplum morbi chronici, cum quo similiter se habet, luis syphiliticae. In hoc enim morbo maximae, quae existere possunt, conspiciendae sunt exanthematum combinationes; nam a maculis rubris usque ad pustulas ulceraque omnes inveniri queunt diversae species. In Syphilidis plerumque characteristicum accessorium quoque existit, quo is, qui accurate consideraverit, eas esse luis venereae symptomata facile intelliget et in diagnosi indicanda multum adiuvabitur: areola enim ruboris cyprei, forma modo circulo, modo ovo, modo renibus similis adest. Haec autem signa prorsus idonea non sunt, nec semper tam manifesta apparent; subrotunda enim forma omnia exanthemata sunt. Etenim hic quoque in diagnosi indicanda combinatio maxime est consideranda. Satis enim edocti sumus, mirandam hanc combinationum exanthematum varietatem Syphilidi maxime esse propriam, illosque homines, in quibus tot efflorescentia simul animadvertimus, esse syphiliticos suspicandos. (Nimirum hoc semper qnidem non accidit.) Quare in postrema parte exempli causa loquar de homine, qui ostendit maximam combinationem exanthematum quae a Syphilide remotissimae erant.

Satis igitur apparet, in indicanda exanthematum diagnosi, respicere, quae adsint combinationes, magni esse momenti, nec minoris in therapia quidem. Medicus enim, qui in Va-

riolas eadem, quae in Pruriginem, si cuncta esset cum Herpete vel Pemphigo, adhibiturus esset remedia, aut qui Syphilidas eodem quo simplex exanthema modo, nulla dyscrasiae ratione habita, curaturus esset, magno duceretur errore, et ea, quae ex his efficerentur valde essent iniqua.

Et haec quidem de his rebus hactenus; nunc id persequar, ut historiam describam aegroti, in quo combinationes exanthematum plus minusve graves inventae sunt:

C. G. agricola, anno aetatis vicesimo quarto, qui se continua fere sanitate gavisum esse contendit, refrigeratione antecedente, ut ipse quidem dixit, iam plures menses laboraverat exanthemate, quod super crura, genua et inferiorem femoris partem tenuiter tantum propagatum erat, atque interdum tenuem effecerat pruritum. Postea vero, ut aegrotus quidem contendit, aliud super extremitates superiores, super totum anterius corporis latus atque super nates divulgatum est; denique vesiculae quoque accesserunt in dorso manus, circa carpum interque digitos. Ac tum demum aegrotus medicum adhibere incepit, quia putavit, se Scabie esse correptum, ac pruritus iam diu ei intolerabilis erat.

C. G. statura est media, facie sana, corpore robusto; omnes corporis functiones sunt normales, nec de ulla alia re queritur, quam de molestis in cute affectionibus. Iam parte sequenti varias describam species efflorescentium, quae in cute illius hominis orta erant, in eaque inter se mixta adeoque propagata erant, ut re vera nimius non sim, dicens, nullam inveniri posse partem satis magnam, iu qua digiti pulpam imponere possis.

Ac primum quidem in utraque manu praecipue in eius dorso ac circa carpum parvae maioresque vesiculae inveniebantur, quae sub epidermitide elevata liquorem turbidum continebant. In dorso manus vesicae magnae, inde usque ad dimidium antibrachii vesiculae minores praecipue praevalebant. Inter singulas autem vesicas parvae cutis rimae perspicue animadverti poterant. Facile fieri potuisset, ut qui primum aspexisset aegrotum, eum Scabie esse correptum putaret, quoniam parvae illae cutis rimae canaliculis sarcoptis simillimae erant, atque aegrotus id praecipue commemorabat, se in his quidem partibus pruritu nocturno vehementissime vexari. Ad diquisitionem accurate instituendam — quoniam speculo observatorio sarcoptae inveniri non poterant — singulae vesicae apertae earumque contenta microscopio supposita sunt; quo facto contentum consistere ex pure ac liquore seroso apparuit. Inde nobis persuasum erat, simplex tantum exanthema bullosum adesse, quod declaravimus Pemphigum vel Pompholygem. Parvae autem illae cutis rimae nulla alia re erant producta, quam aegroti frictione. In aliis quoque partibus perspicua unguium vestigia ostendi poterant.

Altera vero prorsus diversa exanthematis species in parte superiore antibrachii, in cubito internaque femoris parte propagata erat. Haec enim consistebat ex parvis papulis, quae eodem, quo cutis, quamquam obscuriore colore, dispositae atque squamulis furfuraceis obtectae erant. Quare in dubium vocari non poterat, quin quaedam Lichenis forma adsit. Ac praeterea in iisdem cutis partibus nonnullae maculae maiores subflavae exstiterunt; in quibus ipsis desquammatio Epidermeos fiebat. Quae maculae utrum proprii morbi species habendae sint, an a morbo priori tantum restent, disceptare non audeo. Quodsi primum esset, morbus nominandus esset Pityriasis versicolor, si alterum, postremum tantum inflammationis, qua hae cutis partes affectae fuissent, stadium; quae quidem inflammatio in qualicunque exanthematis forma apparuisse potuit. Anamnesi de hac re certior fieri non potueris.

Ac tertia exanthematis species in brachiis, praecipue in interiori eorum parte apparuit, ut Psoriasis. Quae tironem quidem imprimis tenere debebat, quia et nascens et procedens et regrediens observari poterat. Hic perspicue apparuit, rectissime esse illud quod Hebra dixit: Varias Psoriasis formas, quales essent, Psoriasis orbicularis, scutellata, diffusa aliaque nihil esse aliud, quam varia eiusdem exanthematis stadia. Tres illae formae erant aliae iuxta alias: maculae rubrae, paullulum levatae, rotundatae, in quibus squamae albae, non nihil splendentes, insedebant (Psoriasis orbicularis); iuxta eas maculae, rubris tantum marginibus super cutem prominentes, in medio autem, in scutellae forma depressae, normalem cutis colorem habebant (Psoriasis scutellata); denique Psoriasis diffusa, maculae maiores, curvaturis circumscriptae, quam confluendo plurium macularum minorum fuisse natam perspicue ostendi poterat.

In anteriore trunci latere quarta exanthematis species conspicienda erat, quae constitit in papulis parvis diffusis, eodem quo cutis, quamquam ruberiore colore nec squamulis obtectis: Prurigo. Nonnullae erant omnino planae, nonnullae, quoniam rescissae fuerant, cruore detectae. Ad ventrem autem singuli Lichenis noduli, et, mixtae cum his atque Prurigine, parvae maculae purpureae conspiciendae erant. In cruribus erant Prurigo et Lichen, iuxta quae Acnes magnus numerus; denique singulare quoddam efflorescens, cuius in compendiis nulla adhuc facta est mentio. Etenim aderant in Epidermitide vesiculae minimae albae nondum ea magnitudine, qua est dimidiatum caput acus, non convexae, ut Miliaria, sed eadem qua cutis superficie, sine margine rubro aliisque. Postquam stimulatae sunt, non serum clarum sed guttula puris processit. Haec puncta purulenta diffusa erant super totum anterius femoris latus; nec in alia cutis parte inveniri poterant.

Sexta autem species, ab exanthematis iam descriptis maxime varia, in auriculis, in ostiis nasus, in angulis oris, in natibus, in scroto inhaerebat. Quod exanthema conspicitur

ut vesiculae, quibus inest liquor clarus, sero similis; circumdatae sunt crustis flavis, quibus cutis rubra madensque subest. Hanc exanthematis speciem Eczema nominare consuevimus. Inter nates est praeterea exsudati fibrinosi in telam cutis infiltratio.

Denique singularis quaedam exanthematis species nobis occurrit in regione mentali atque in malis. Quod exanthema in nodulis rubris ac parvis flavisque existit pustulis, quae omnes una perforatae sunt pila; quod exanthema Acne Mentagra sive Sycosis nominatur. Iam hactenus haud exiguam commemoravi copiam morborum cutaneorum, qui omnes ita erant designati, ut singuli ignorari non possent.

Neque vero his exanthematis solis aegrotus laboravit. Aderant enim plures et cutis et formationum epidermoidalium morbi, qui, quoniam plerumque in omnibus fere hominibus animadvertuntur, novi esse nequeunt; sed, quia cum tanta aliarum abnormitatum copia una existunt, hoc loco, ut descriptio plena sit atque perfecta, enumerentur oportet. In cervice enim aegroti plures conspiciendi erant noduli, partim inflammatorii, partim purulenti, maiores minoresque, quos partim Acnen, partim Furunculum iudicari oportebat; in utraque palpebra inferiori Hordeolum, in digitis ac manu plures verucae. Eiusmodi veruca una, magnitudine ciceris, pendula, in superficie speciem habebat ac si pilis sertosis, longitudine unius vel duarum linearum esset obtecta; quae pilae nihil erant aliud, quam continuationes epidermitidis, cellulae epidermeos filiforme connexae. Etiam nonnulli ungues affecti erant, praecipue digitorum pedis, qui, cariosis ossibus similes, crassitudinem duarum fere linearum formamque conicam habebant. Quibus omnibus si addas Comedones in nasu ac fronte, varios clavos atque callos in manibus pedibusque, — qualis fuerit externa huius viri facies cogitatione facile depingere poteris.

Quomodo autem haec exanthemata et nascantur et crescant, parum patet. Quia magnae eiusmodi exanthematum

combinationes saepe in homine syphilitico inveniantur, luem adesse primum nobis in mentem venerat. Eiusmodi autem affectionem nunquam affuisse et ipse aegrotus affirmavit, et examinatione quoque declaratum est. Nam neque in genitalibus, nec in faucibus cicatrices aut detritus inveniebantur; aderant sane bubones indurati atque tumidi, quos semper autem affuisse aegrotus confirmavit. In hoc igitur homine singularem quandam exanthematum dispositionem esse supponendam, quisque certe concedet. Rarissime enim talem exanthematum combinationem videre liceat. Verisimile autem hae combinationes hoc modo natae fuisse videntur. Primum quidem exorta est Psoriasis, id quod consentit cum iis, quae aegrotus narravit; aliae autem exanthematis formae secundariae partim irritatione cutis, partim magna aegroti immunditia ortae videntur.

Therapia autem est simplicissima: maiori enim cutis culturae studet; cui adiungit remedium externum leve irritans. Utrumque autem coniunctum est in balneis ex aqua tepida ac sapone nigro domestico factis. Talibus balneis aegrotus quotidie semel utitur. Simplici hoc remedio applicando exanthemata omnia in dies magis magisque evanescunt.

VITA.

Natus sum *Carolus Krebs* Hinsbergii die XXIV m. Maii, anni MDCCCXXXV, patre *Josepho*, medico-chirurgo, et matre *Carolina*, e gente *Schleicher*. Fidem confiteor catholicam. Primis litterarum elementis instructus, anno aetatis XVI Marcodurum me contuli, ubi quatuor per annos gymnasium frequentavi et testimonium maturitatis acquisivi. Anni auctumo h. s. LIV almam hanc litterarum sedem petii et a Prof. *Wutzer*, rectore magnifico in civium academicorum numerum receptus sum. Itaque quatuor per annos scholas medicas frequentavi et horum clarissimorum professorum praelectionibus interfui: *Albers*, *Bischof*, *Budge*, *Busch*, *van Calker*, *Helmholtz*, *Kilian*, *Knoodt*, *Mayer*, *Naumann*, *Noeggerath*, *Plücker*, *Schaafhausen*, *Treviranus*, *Troschel*, *C. O. Weber*, *M. J. Weber*, *Wutzer*.

Quibus viris omnibus, optime de me meritis gratias agere nunquam desinam.

THESES.

1) *Carcinomatis medendi culter est optimum remedium.*

2) *Nullum est specificum signum tumorum benignitatis aut malignitatis.*

3) *In ulceribus curandis maxime est respiciendum ad dyscrasiam.*

4) *Auscultatione et percussione neglecta, diagnosis morborum pectoris incerta.*